

14. *Expenduntur dicta quorundam auctorum secundæ opinionis.* — Atque ex his iudicium ferendum est de aliquibus propositionibus, seu modis loquendi auctorum supra allegatorum, præsertim Cajetani et Hosii, quos aliqui reprehendunt, et alii benigne interpretantur. Unus est, in quo modus ille loquendi Pauli ad Galat. 2 : *Vivo ego, jam non ego, sed vivit in me Christus*, accommodatur ad meritum justis; nam ut Cajetanus ait, in simili forma dicere potest justus : *Mereor ego, jam non ego, sed meretur in me Christus*. In quo loquendi modo non est magna difficultas in illa negatione, *jam non ego*, nam cum præcedat affirmatio, *mereor ego*, clarum est alteram partem negantem non sumi in sensu contradictorio, ac proinde non negari absolute quod justus mereatur, sed quod non solus sine Christo, vel quod non sua principali virtute mereatur; sicut in alia propositione Pauli, cum dicit, *jam non ego*, non negat se vivere; sed si prior affirmatio, *vivo ego*, de vita corporali intelligatur, in sequenti negatione significat non esse illam præcipuam vitam, qua vivit, nec quæ nomen vitæ, spirituali modo loquendo, simpliciter mereatur, sed aliam qua per Christum vivit. Si autem prima affirmatio de spirituali vita intelligatur, per negationem significat illam vitam non esse a se, et magis esse Christi quam suam. Sicut etiam dixit Christus, Matthæi 40 : *Dabitur vobis quid loquamini, non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*: ubi non negat discipulos esse qui loquuntur, ut constat, et præcedens promissio : *Dabitur enim vobis quid loquamini*, satis ostendit; sed negat eos futuros esse principales auctores sui sermonis, sed spiritum Dei, qui per eos loquebatur. Estque simillima illa locutio Pauli, primo Corinth. 15 : *Abundantius omnibus laboravi, non ego, sed gratia Dei mecum*; ubi dicens *non ego*, non negat quod affirmaverat, se laborasse, sed negat fructum laboris sui, vel efficaciam et sanctitatem operis sui fuisse ab ipso, sed a gratia. In hac ergo parte non est quod scrupulose dubitetur, dummodo pars illa negans non simpliciter proferatur, dicendo, verbi gratia : Non mereor ego, quia sic in rigore sensum erroneum habet, quem corrigat et tollit affirmatio : *Mereor ego*, et ideo conjungi debet sive antecedenter, ut : *Mereor ego, sed non ego*, vel consequenter, ut : *Non ego, sed gratia Dei mecum*.

15. *Contra posteriorem partem arguitur.* —

Alteram vero partem affirmans, *Meretur in me Christus*, obscurior videri potest, quia Christus nunc non meretur, quia non est in statu merendi; ergo nec meretur in me. Unde hæc est differentia inter propositionem Pauli : *Vivit in me Christus*, quia per verbum vivendi tribuitur aliquid Christo, quod simpliciter illi convenit. Et idem est de his locutionibus : Christus operatur in me, sicut Deus dicitur operari omnia in omnibus; vel : Christus loquitur in nobis, sicut Paulus 2 Corinth. 13, dicit : *An experimentum queritis ejus qui in me loquitur, Christus?* Nam operari et loqui actiones sunt, quæ possunt simpliciter Christo nunc attribui; at vero mereri non potest simpliciter attribui Christo, et ideo nec videtur dici posse : *Meretur in me Christus*. Quam differentiam notavit Soto, lib. 3 de Natur. et grat., cap. 8, inter illa verba, loqui, seu operari, et mereri; nam recte dicitur Deus, vel Spiritus Sanctus loqui aut operari in me, non tamen sic dicitur mereri in me, quia loqui aut operari non involvunt imperfectionem Deo repugnantem; mereri autem illam includit, quia dicit actionem subditi, seu inferioris. Idem autem videtur esse de Christo extra statum merendi constituto. Et confirmatur, quia per illum modum loquendi significari videtur nos tantum mereri, quatenus meritum Christi nobis imputatur, quod accedit ad errorem hæreticorum hujus temporis, et ideo cavendum videtur.

16. *Exponitur tamen et admittitur in sensu metaphorico.* — *Ad confirmationem.* — Hæc tamen ita obijciuntur, ac si locutio illa in sensu proprio et rigoroso, et non in metaphorico usurpetur. Quod est contra mentem dictorum auctorum, et contra vim verborum, secundum usitatum loquendi morem. Nam dicti auctores illam locutionem explicant per alias in Scriptura frequentes, in quibus passiones vel actiones corporis tribuuntur capiti, et e converso, juxta vulgatam regulam Ficonii, ut Actor. 9 : *Saule, Saule, quid me persequeris?* At vero in illo sensu metaphorico non significatur Christum in propria persona mereri, sed in membris suis; sic autem non repugnat Christo mereri, quia sic Christus non est omnino extra statum merendi, quia, licet in persona sua sit extra statum, non secundum omnia membra sua. Sicut etiam de illo nunc dici potest, persecutiones, passiones, ac tormenta nunc pati. Deinde in hujusmodi locutione alia metaphora considerari potest etiam valde usitata,

in qua nimirum propositio, quæ solum in sensu causali vera est, in formali simpliciter profertur; est optimum exemplum in illa sententia Pauli : *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus; qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus, qui secundum Deum postulat pro Sanctis*. Ubi Spiritus dicitur postulare et desiderare, quia desiderare et postulare nos facit. Et secundum eandem metaphoram optime intelligitur illa sententia Pauli : *Vivit in me Christus*, quia ipse me vivificat, et ego vivo vita ipsius, non quam formaliter in se habet, sed quam in me facit; ergo eadem metaphora optime dicitur Christus in me mereri, non formaliter, sed causaliter. Et ad hunc sensum parum etiam refert quod Christus sit extra statum merendi, quia in illo statu potest in me efficere principaliter meum meritum. Et in eodem sensu non est cur Deo illa propositio negetur, quia si Spiritus Sanctus dicitur orare in Sanctis, vel postulare pro nobis, cur non dicitur etiam mereri in nobis? non enim minus dicit subjectionem vel submissionem orare quam mereri. Unde ad confirmationem non video cur per illam propositionem : *Meretur in me Christus*, significetur meritum nostrum solum consistere in imputatione meritorum Christi, magis quam per illam : *Vivit in me Christus*, denotetur nos vivere (utique spiritualiter) per solam imputationem vitæ, seu gratiæ Christi. Adde vero, sicut in priori parte illius sententiæ dixi, hanc dimidiatam sententiam per se prolatam : *Meretur in me Christus*, suspicionem illam posse inducere et ideo vitandam esse, conjunctam vero præcedentibus : *Mereor ego, jam non ego*, omnem cessare suspicionem, quia sensus metaphoricus patentissimus est. Nam illa prima affirmatio : *Mereor ego*, excludit hæreticorum errorem, et negatio subjuncta declarat me non ita mereri, ut sim principalis auctor mei meriti, et consequenter illamet conjunctio adversativa, quæ subjungitur, dicendo : *Sed meretur in me Christus*, declarat id solum attribui Christo, tanquam principali causa mei meriti.

17. *Alia propositio probabile, sed non necessaria ad institutum.* — Adverto autem propositionem illam, cum in his tantum sensibus metaphoricis vera sit, non multum conferre ad probandum vel declarandum specialem effectum, vel dignitatem, quam nostra merita habeant ex meritis Christi, ut speciali modo ad valorem vel justitiam nostrorum

meritorum applicatis. Addit vero Cajetanus aliam notandam propositionem, quæ ad hoc declarandum videtur excogitata. Eamque proponit constituendo differentiam inter parvulos, et adultos qui in gratia moriuntur, nam parvulis datur gloria ex solis meritis, quæ Christus in propria persona, et in hac vita mortali habuit; adultis vero datur duobus titulis, scilicet, et propter eadem merita Christi in propria persona et vita mortali, et propter meritum, quod nunc Christus, ut caput, in adulto et per adultum meretur. Quod etiam confirmat exemplo Christi, qui (ut ait) habuit suam gloriam, et titulo unionis personalis, et propter meritum obedientiæ; unde nos conformiores illi erimus, si duplici etiam titulo gloriam habeamus. Atque hæc quidem sententia probabilis est, non tamen videtur necessaria, nisi modo superius posito explicata. Non enim videtur necessarium ut corona gloriæ detur adultis illam merentibus, propter meritum Christi, et proprium, tanquam propter duas causas proximas et immediatas, sicut datur gratia et gloria parvulis propter meritum Christi, tanquam propter causam proximam, et quasi particularem, quia non est necessarium multiplicare hujusmodi causas circa eundem effectum, et quia non est promissa beatitudo adultis propter Christi meritum, quasi propter causam totalem et integram, ut condistinctum a merito ipsius adulti. At vero si meritum consideretur per modum causæ universalis, influens cum meritis nostris, eo quod ipse Christus meruit ut nostra merita acceptarentur ad præmium propter eadem sua merita illis promissum, sic recte intelligitur gloriam dari adultis, non tantum propter meritum proprium, sed etiam propter meritum Christi diversa ratione spectatum.

## CAPUT XX.

UNDE HABEANT OPERA JUSTORUM UT MAGIS MERITORIA SINT?

1. *Merita justorum inæqualia posse esse supponitur.* — Suppono, quod per se notum videtur, et de fide certum est, merita justorum esse inæqualia, non solum in diversis justis, sed etiam in eodem. De diversis id satis probatum est supra lib. 9, ubi ostendimus gratiam, vel primam, vel secundam, et consequenter etiam gloriam, esse in diversis justis inæqualem. Eadem enim ratio

est de inæqualitate meritorum, quia si in dispositionibus ad gratiam potest esse inæqualitas, et ideo gratia inæqualis infunditur, etiam in operibus meritoriis diversorum hominum potest esse inæqualitas, nam est eadem ratio. Et similiter si præmia inæqualia sint, etiam merita. De eodem autem justo pro diversis temporibus vel actibus eadem est ratio, et ex dicendis evidentius declarabitur. Hæc ergo inæqualitas meritorum consistere potest, vel in multitudine et paucitate operum, vel in eodem numero operum, seu in duobus operibus inter se collatis, seu (quod perinde est) in eodem opere habente plures vel pauciores conditiones meriti.

2. *Assertio prima.* — *Dubium duplicem sensum habens.* — *Resolvitur in priori sensu.* — Primo ergo dicendum est multitudinem bonorum operum per se conferre ad augmentum meriti, si cætera sint paria, seu si novum opus præcedentibus meritis addatur. Probat, quia majus est totum sua parte; sed major numerus bonorum operum comparatur ad minorem, sicut totum ad partem, in ratione meriti; ergo in majori multitudine bonorum operum, cæteris paribus, est majus meritum, ac proinde ex augmento operum secundum numerum augetur meritum, si cætera paria sint; ut evidenter patet, quando præcedentibus meritis novum opus meritorium additur, nam tunc præcedens cumulus fit major per additionem novi operis boni, et hoc opus per se affert novum meritum, nam supponimus esse meritorium; ergo augetur inde totum meritum. Quamvis autem hoc videatur per se satis evidens, exponendum nihilominus est an hoc augmentum meriti extensivum tantum, vel etiam intensivum censendum sit. Quæ interrogatio intelligi potest dupliciter: uno modo, ex parte actuum quibus fit meritum, illos absolute et secundum esse physicum ac reale considerando. Alio modo fieri potest interrogatio de ipso merito moraliter considerato, seu in esse meriti, et per comparisonem ad præmium. In priori sensu, nullam habet quæestionem; tum quia illud augmentum fit per multiplicationem meritorum, quod augmentum multitudinis extensivum est, secundum modum quantitatis discretæ; tum etiam quia ex multis actibus meritoriis non fit unus intensior singulis, sicut ex multis caloribus remissis non fit unus intensior, quia non uniuntur inter se ad unum intensiorem calorem componendum. Idem ergo est de pluribus actibus meritoriis,

absolute et secundum suum esse reale spectatis. In alio vero sensu interrogatio aliquam dubitationem habet.

3. *De posteriori sensu opinio prima.* — *Ejus ratio.* — *Confirmatio.* — Quidam enim Theologi moderni dixerunt, hoc augmentum bonorum operum non conducere ad præmium intensive perfectius obtinendum, ac proinde non posse dici intensivum, sed tantum extensivum, sub quacumque ratione consideretur. Ita sentiunt qui dicunt plura opera æqualia non augere intensive præmium, vel, si inæqualia in intensione sint, præmium commensurandum esse intensiori operi tantum, ac subinde alia non augere intensive præmium, et consequenter neque meritum. Fundari potest primo, quia æqualia opera non augent intensive habitum, vel, si sint inæqualia, non possunt habitum augere ultra gradum intensioris actus; ergo neque possunt præmium augere intensive. Confirmatur, quia in merito de condigno servanda est proportio præmii ad meritum: at intensio præmii, verbi gratia, visionis beatæ, excedens perfectionem singulorum actuum meriti, est improporcionata singulis actibus; ergo etiam toti collectioni eorum. Probat, quia in tota collectione actuum ut quatuor, verbi gratia, non est aliquis gradus proportionatus quinto gradui addendo in præmio; maxime cum in philosophia probabile sit gradus intensionis esse aliquo modo diversarum rationum, ita ut qualitas ut quatuor non possit fieri ut quinque per additionem alterius quarti gradus, sed solum per eum, qui secundum proprium ordinem quintus est, et quartum per se supponit. Et inde est, ut plura calida ut quatuor non possint efficere unum calorem ut quinque; eadem autem improporcion reperitur inter plura merita, et præmium unum intensius omnibus illis; ergo meritum de condigno non potest hoc modo intensive augeri ex sola multitudine operum bonorum. Dicit ergo hæc opinio augmentum illud, etiam per comparisonem ad præmium, esse extensivum, quia vel plura merita illis operibus respondent, vel unum diversis titulis, non vero in se majus.

4. *Refutatur opinio præcedens.* — Hæc vero opinio virtute est in superioribus reprobata; ostendimus enim per singula opera meritoria, sive intensiora, sive æqualia, sive remissiora sint, mereri hominem essentielle præmium. De quo sine dubio loquitur Paulus, 1 ad Corinth. 3, cum dicit: *Unusquisque*

*propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*, ut ibi optime D. Thomas, lect. 2, exponit, et in superioribus probatum est. Et de eodem loquitur Christus, Matth. 25, cum dicit ad electos: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi*, et statim numerat multitudinem operum, per quæ præmium illud obtinetur. Et de eodem loquitur Concilium Tridentinum, sess. 6, can. 32, cum definit justum, per sua bona opera vitam æternam ejusque augmentum mereri. Ex hoc ergo principio concludimus, per multitudinem operum, seu per additionem cujuscumque operis meritorii de condigno, augeri meritum intensive in esse meriti, seu (quod perinde est) in ordine ad præmium, quod intensive perfectius tali cumulo meritorum respondebit. Probat, quia præmium essentielle respondens omnibus et singulis operibus justorum meritoriis de condigno, unum est, vel objective respectu omnium, vel, quod ad rem magis spectat, formaliter in singulis, quia in omnibus est una divina essentia, in singulis vero etiam una gloria, seu una visio beata, cum amore, delectatione, et aliis quasi proprietatibus comitantibus illam. Hoc ergo præmium non potest augeri extensive secundum multitudinem, seu extensionem discretam, ut sic dicam; ergo augendum est intensive propter multitudinem meritorum. Cum enim in illo præmio duo sint, scilicet, objectum et actus, ex parte objecti secundum se non est magis neque minus, quia totum omnibus datur, licet non totaliter, quod provenit ex parte actus, et quasi per denominationem ab illo; ergo majus augmentum præmii illius tantum in actu ipso, vel consequenter etiam in habitu inveniri potest. At vero præmium illud intensive tantum augeri potest, quia debet esse verum augmentum in ipsomet actu, alias non esset augmentum in essentiali præmio; ergo necesse est ut multa opera meritoria quasi copulentur, et ex eis consurgat unum meritum dignum essentiali præmio perfectiori intensive; et in hoc sensu dicimus hoc augmentum esse intensivum in esse meriti.

5. *Consecrarium quod etiam institutum declarat.* — Unde fit, quod etiam rem declarat, ut meritum plurium actuum in ordine ad præmium tantæ perfectionis intensive æquivalere possit, vel etiam excedere meritum unius actus superantis in intensione omnes actus illius multitudinis, quia sicut ex intensione actus augetur præmium, cæteris pari-

bus, ita etiam ex multitudine actuum; ergo potest hæc multitudo esse tanta, ut superet valorem intensionis, cum ille finitus sit. Estque hoc per se spectatum valde consentaneum rationi, et divinæ justitiæ, ac providentiæ, sub qua hæc moraliter consideranda sunt, et non tantum secundum physicam proportionem. Et ideo fundamentum contrariæ sententiæ nullius momenti est. Nam principalis ratio falsum sumit, nam in lib. 9 ostensum est per actus remissos posse habitum meritorie augeri. Confirmatio autem procedit tantum secundum physicam proportionem, quæ non est necessario in re morali servanda, præsertim cum actus, non solum in eadem specie remissior, sed etiam in specie ipsa ignobilior, possit idem essentielle præmium vel augmentum ejus de condigno mereri. Unde dicimus gradum majoris intensionis in visione beata, verbi gratia, quantum gradum, posse esse proportionatum præmium unius actus meritorii, etiamsi in suo esse non attingat quantum intensionis suæ gradum, quia meritum non consistit in gradu intensionis, sed in valore morali actus, qui ex multis aliis capitibus consurgit, ut jam diximus, et ratione illius valoris est actus quasi æquivalens pretium talis mercedis.

6. *Assertio secunda.* — *Ejus ratio.* — *Confirmatio.* — Secundo, dicendum est in uno et eodem actu augeri meritum ex augmento proprietatum, seu conditionum quæ ad meritum de condigno concurrere possunt aut debent. Hæc etiam assertio certissima est, sumiturque ex D. Thoma 2. 2, quæst. 104, art. 3, et quodlib. 6, art. 11, ubi dicit actum, minus meritorium ex genere suo, esse magis meritorium ex aliis circumstantiis; et latius 1 Corinth. 3, lect. 2. Et ratio clara est, quia valor operis ad meritum consurgit ex variis conditionibus, ut hactenus vidimus; ergo quo actus plures vel meliores conditiones ex illis habuerit, eo erit majoris valoris ad meritum, ac subinde dignius meliori præmio. Et confirmatur, nam duo opera meritoria possunt esse inæqualia in merito; hæc autem inæqualitas non potest provenire, nisi ex inæqualitate in conditionibus ad meritum requisitis. Ex quo enim alio capite oriri potest? Ergo ex illis conditionibus augetur meritum, vel in uno eodem opere in diversis temporibus, vel in diversis operibus in eodem tempore, saltem in diversis personis, nam in eadem vix possunt simul inveniri, quamvis non repugnet.

7. *Ostenditur præterea inductione facta per aliquas conditiones meriti.* — *Ex prima conditione.* — *Ex secunda.* — *Ex tertia.* — De aliquibus ergo conditionibus concurrentibus in actu meritorio, vel ad meritum requisitis, facile intelligitur, et extra controversiam est, quod augeant meritum actus, si cætera paria sint. Primum id constat de excellentia actus studiosi ex specie, seu objecto suo, ut testatur D. Thomas in dicto quodlib., et in dicto etiam lib. 9 ostensum est. Quia cum fundamentum meriti ex parte actus sit bonitas ejus, quo hæc major fuerit in ipsamet essentia et specie actus, eo dignius erit præmio, si in cæteris sit æqualitas. Secundo, probat hæc ratio idem esse dicendum de omnibus circumstantiis augmentibus moralem dignitatem operis, sive augeant illam quasi intensive intra eandem bonitatis speciem, sive extensive, addendo novam accidentalem speciem. Quia priori modo est augmentum quasi intensivum in morali bonitate operis; posteriori autem modo est quasi extensivum, et æquivalens multitudini operum. Tertio, erit hoc augmentum longe certius, si fuerit in relatione charitatis, nam quo hæc fuerit major, tanto crescet ex eo capite meritum operis, et ideo actualis seu formalis relatio magis auget, quam sola virtualis, et intensius charitatis imperium, seu ex ardentiori affectu procedens, magis quam remissius. Et eadem ratione quodlibet imperium distinctæ virtutis augebit actum alterius in merito, magis quidem, vel minus, juxta suæ perfectionis gradum, et secundum modum in superioribus declaratum. Et hac ratione dixit divus Thomas 2. 2, quæst. 88. art. 6, opus ex voto factum cæteris paribus magis meritorium esse, quam sine voto factum.

8. *Ex quarta.* — *Ex quinta.* — *Ex sexta.* — Quarto etiam difficultas, quæ ex objecto nascitur, meritum operis auget juxta doctrinam D. Thomæ 1. 2, quæst. 114, art. 4, ad 2; et 2. 2, q. 2, art. 10, ad 3; et in dicta lect. 2. Et ratio est, quia talis difficultas per se auget operis bonitatem. Quinto, meritum non parum augetur ex augmento voluntarii, quod omnes etiam fatentur, nam quo actus magis fuerit voluntarius, eo, cæteris paribus, est magis meritorius. Loquimur enim de voluntario, prout formaliter distinguitur a libero, et sic magis voluntarium dicitur, quod majori affectu et conatu voluntatis fit; at vero quod fit majori conatu et affectu, fit etiam actu voluntatis intensiori, quia ex majori co-

natu oritur major intensio, nec illa major affectio potest in alio augmento ipsius actus consistere. Ergo illud magis voluntarium auget meritum, quia intensio actus ex se meritum auget, quia auget ipsam entitatem actus, et consequenter etiam honestatem. Adde vero sexto, etiam majorem libertatem actus augere meritum ejus, si cætera paria sint, quod videtur etiam extra controversiam esse; tum ex illa regula, quod sicut simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis; at libertas multum conducit ad meritum, imo ad illud est simpliciter necessaria: ergo major libertas de se augebit meritum; tum etiam quia major libertas per se auget laudem bene operantis, sicut e contrario in opere malo auget culpam, seu demeritum ejus, et facit peccantem magis reprehensibilem, et minus venia dignum. Sicut etiam ignorantia aliquo modo excusat, quia minuit libertatem. Cum ergo hæc certa et clara sint, de aliquibus aliis circumstantiis actus sunt particularia dubia, quæ in sequentibus capitibus prosequemur.

## CAPUT XXI.

UTRUM DURATIO SEU CONTINUATIO ACTUS, CÆTERIS PARIBUS, EJUS MERITUM AUGEAT?

1. *Prima dubitandi ratio.* — *Secunda.* — *Opinio Bannez.* — Ratio dubitandi potest esse duplex. Prima veluti a priori, quia meritum consistit in actu interno, ut supra visum est; duratio autem nihil addit actui interno; ergo nec meritum illi addit. Minor probatur, quia, physice rem spectando, illa duratio nihil addit actui, quia non est successiva, sed permanens, et ita nihil addit actui, sed est omnino actus permanens, sicut Angelus durans per horam, nihil amplius habet quam in primo instanti recepit. Moraliter item loquendo, nihil videtur esse in illa duratione dignum majori merito, quia voluntas nec plus conatur, nec nova vel majori libertate utitur, dum in eodem actu perseverat. Altera ratio ab inconvenienti est, qui alias in quolibet actu continuato per aliquod tempus esset meritum infinitum, quod nullus admittet. Probatur autem sequela, quia meritum est talis proprietas actus, ut in instanti perici possit, sicut et ipse actus, unde in primo instanti, in quo fit actus, habet certum meritum, eique responderet certum præmium, etiamsi amplius non duraret; ergo si duratio temporis auget meritum ejus, tantumdem merebitur in quolibet ins-

tanti illius temporis, quantum in primo, quia non est major ratio de uno quam de alio; at vero in tali tempore sunt infinita instantia; ergo in illis merebitur talis actus infinitos gradus vel partes æquales intensiois præmii (ut sic rem declarem), et inter se non communicantes, nam in quolibet instanti meretur aliquid omnino distinctum ab aliis; ergo erit in tali præmio infinita intensio, quia, ut jam diximus, multitudo illa meritorum partialium respectu præmii est intensiva, et illud, in quo sunt infinitæ partes, vel quasi partes æquales, et inter se non communicantes, est infinitum simpliciter, et in actu, ut ex philosophia manifestum est. His argumentis, præcipue hoc secundo convicti, aliqui Theologi negant augeri meritum ex continuatione actus, Bannez 2. 2, quæst. 24, art. 6, dub. 5. Alii vero, licet non id negent de omni duratione, necessarium tamen putant de aliqua minima id negare, intra quam meritum non augeatur, ut in solutione secundi argumenti melius explicabimus.

2. *Assertio communiter recepta.* — *Prima ratio pro assertione.* — *Secunda.* — *Tertia.* — *Quarta.* — Vera nihilominus sententia est, quæcumque durationem actus interni meritorii augere aliqua ex parte meritum, seu præmium illi respondens. Hæc assertio communiter recepta nunc est, eamque docent communiter moderni 1. 2, quæst. 114, et docuit Victoria in Relect. de augment. charitatis, p. 1, in fine. Eandem supponit Corduba, lib. 1 Quæstion., q. 9, in fine, in resolutione opinionis quintæ, ubi æquiparat continuationem unius actus multiplicationi plurium actuum similium, in hoc quod, sicut plures actus remissi possunt æquivalere in merito uni actui intenso, ita et unus actus minus intensus et magis durans possit æquivalere in merito actui magis intenso, et minus continuato. Et allegat Scotum in 3, d. 27, art. 3, ubi nihil invenio, et in 2, d. 6, q. 1, ubi id quidem dicit de actibus remissis multiplicatis, de continuatione autem nihil attingit. Citat etiam Gabriel in 2, dist. 5, art. 1, ubi etiam loquitur de actu multiplicatione; aliquid vero de continuatione indicat, cum infert ad magnitudinem meriti non requiri longitudinem temporis in merendo; in hoc enim significat utilem esse posse, licet necessaria non sit. Ratione probatur primo, quia perseverantia in bono opere est quædam proprietas operis honesta, et libera, et in gloriam Dei redundans; ergo apud Deum est digna præmio;

ergo, cæteris paribus, auget meritum actus; at continuatio ejusdem actus est quædam perseverantia, quæ, licet possit esse magna et parva, tamen cum proportione habet eandem honestatem; ergo cum proportione etiam auget meritum. Secundo, quia unus actus diuturnus moraliter æquivalet pluribus similibus actibus eodem tempore factis; sed illi plures actus augent meritum; ergo et continuatio actus. Tertio, in operibus externis videtur certe id manifestum; quis enim neget diuturnam orationem esse magis meritoriam quam brevem, et sic de aliis; meritum autem talis operis consistit in actu interno voluntatis substantialiter, qui sane actus internus potest esse idem eodem modo perseverans, neque inde profecto minuitur meritum, quin potius cæteris paribus potest id esse melius; ergo in eodem actu interno per ipsius continuationem meritum crescit. Quarto, juxta communem sensum omnium hominum prudentium, majori laude dignus est, qui in eodem actu, verbi gratia, amandi Deum, diu perseverat, quam qui subito et quasi transitorie illum elicit, et statim omittit; ergo, eadem ratione, est majori præmio dignus, ac subinde continuatio meritum auget. Denique in ipsa actus continuatione, per se et ex natura sua est aliqua difficultas, quæ libere et propter Deum, seu propter honestatem vincitur; cur ergo non augebit meritum? Nulla profecto est ratio probabilis, ut ex solutionibus argumentorum magis constabit.

3. *Solvitur prima dubitandi ratio in num. 1.* — Et prima quidem ratio dubitandi ex dictis manet soluta. Quidquid enim sit de physica additione, negamus continuationem actus nihil addere moraliter affectioni ejus. Nemo enim negare potest quin conservatio rerum permanentium, etiam immortalium, seu incorruptibilium, sit continuum beneficium Dei, semperque majus, etiamsi per illam nihil physicum seu reale addatur rei in principio factæ, quia ratio beneficii, quæ moralis est, crescit per rei permanentiam in eodem esse, quamvis nulla entitas, vel modus realis ac physicus illi addatur. Ita ergo crescit moraliter obsequium erga Deum per continuationem ejusdem operis, licet physica additio nulla fiat, quia meritum morale quid est, et moraliter augeri potest. Unde cum dicitur voluntas conservando actum non plus conari, illud plus æquivocum est, quia potest intelligi intensive, et ita verum sumitur, tamen illud non est necessarium ad augmentum